Sigismundus

Thomae Adm. Rev. D. D. M. Sigismundo Gregorowic dum e subselliis Philosophiae evocatus Theologiae cathedram capesseret.

ADMODVM REVERENDO DOMINO,
D. M. SIGISMVNDO GREGEROWIC,
S. T. Bac: eiuſdemq; facultatis Ordinario Profeſſori Can: S. Annæ, Dûm è ſub ſellijs Philoſ: euocatus, Theolog: Cathedram capeſſeret.

VEre beatum eſt, gloriam virtutibus
Laudesq; conferri labori, nam decus
Lucem remittit omne, proceri gradus
Ruunt ad ima, caditq; congregatio,
Frontem leuem ſi flos honoris circuat.

ERgo, ſecundis paſsibus ſcande arduam
Diuinioris exedram Scientiæ,
Vaſtiſsimo Sapientiæ primæ mari,
Immitte tutus ingenîj cymbam tui,
Feliciter qua iam profundos vortices,
Syrtesq; Philoſophantium, & lubrica vada
Tranaſti, acuta ſenſa doctorum notans,
Ætatibus tot cùm decore prælegens.
Seu fuerat explicanda anima Stagiritica
Neruoſa re, fundata vel ſeges ſuprà hæc
Tot difficultatûm, areâ Philoſophici
CVRSVS recluſa, candidè, ac inſigniter,
Legiſti, egiſti, cûm bonorum plauſibus.
Non Te facultas amplius paupercula,
(Onuſta meritorum tuorum pondere,
Longiſq; diſcipulorum adulta claſsibus,
Quos expoliuit indoles, virtus tua,
Communis amplitudinis amantiſsima)
Tenebit; altiùs tuis laboribus
Doctiſsimus Patrum Senatus dat locum,
Caputq; ſacrum laureâ cingit ſacrâ,
Veſtit, coronat, in grauem euocans tholũ,
Abſtruſa ſcripturæ explices vt dogmata,
Monſtresq; rectam ſemitam innocentiæ,
Et ſanctitatis, quâ domus noſtra inclyta,
Regni Magiſtra, floruit pulcherrimè,
Ab vngue primo fabricatæ originis.
Hoc gaudio cumulatus illuſtriſsimo,
Sublimiorem per dies lucem excipe,
Spartamq; primam poſteris relinque iàm,
Laudesq; laudibus nouas adde, & diu
Viue PATRIÆ, ACADEMIÆ, SPONSÆ DEI.

M. Thomas Caneueſi, Patrono & Præceptori ſuo colendiſſimo gratulatur.